



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Regvla VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

Pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt Lexica, concordantia, Apophthegmata, Similitudines, Indices, & huiusmodi; si quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis, Episcopi, & Inquisitoris vnâ cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis, aut emendatis permittantur.

REGVLA VI.

Libri vulgari idiomate, de controuersijs inter Catholicos & hæreticos nostri temporis differentes, non passim permittantur, sed idem de ijs seruetur, quod Bibliis vulgari lingua scriptis, statutum est.

Qui verò de ratione bene viuendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicut nec sermones populares, vulgari lingua habiti.

Quod si hætenus, in aliquo regno, vel prouincia, aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quæ sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores Catholici sunt, postquam emendati fuerint permitti ab Episcopo, & Inquisitore poterunt.

REGVLA VII.

Libri qui res lasciuas, seu obscœnas, expresso tractant, narrant, ac docent, cum non solum fidei, sed & morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

tur, & qui eos habuerint, seuerè ab Episcopis puniantur.

Antiqui verò, ab ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam, & proprietatem, permittuntur, nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

REGVLA VIII.

Libri quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim, seu impietatem, diuinationem, seu superstitionem spectant, à Catholicis Theologis Inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possunt.

Idem iudiciū sit de prologis, summanijs seu annotationibus, quæ à damnatis auctoribus libris non probatis, appositæ sunt. Sed posthac non emendari excudantur.

REGVLA IX.

Libri omnes & scripta, Geomantia, Hydromantia, Neromantiæ, Pyromantia, Onomantia, Chiromantia, Cheromantia, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus reijciuntur.

Episcopi verò diligenter provideant, ne Astrologia iudiciaria libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus aut ijs actionibus quæ ab humana voluntate pendent, certo aliquid euenturum affirmare audent.

Permittuntur autem iudicia, & naturales